



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De  
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDXXXIV.**

**VD18 90392167**

Tractatus de Confirmatione.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41032**





## TRACTATUS

DE

## CONFIRMATIONE.

1. CONFIRMATIO est Sacramentum à Christo institutum, quo baptizati corroborantur ad fidem firmiter tenendam, & fortiter profitendam.

2. Ejus materia remota est *Chrisma confectum ex oleo & balsamo per Episcopum benedicto.* Conc. Florent. in decret. de Sacram. Materia proxima est unctio Chrismaris in fronte per manum Episcopi facta in formam Crucis, quæ Chrismatis unctio est vera manus impositio. Forma autem ex Florent. est hæc: *Signo te signo Crucis, & Confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.*

3. Minister ordinarius est solus Episcopus, ex Trid. sess. 7. can. 3. & Florent. hæc addente: *Legitur tamen aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem, ex rationabili & urgente admodum causâ, simplicem Sacerdotem Chrismate per Episcopum confecto hoc administrasse Confirmationis Sacramentum.* Quare simplex Sacerdos ex commissione Papæ, potest validè ac licitè confirmare.

4. Hu-



4. Hujus effectus sunt. 1. Augmentum gratiæ sanctificantis & virtutum ei annexarum. 2. Auxilia quædam specialia ad fidem fortiter profitendam cum quovis periculo, & ad superandas tentationes contra illam. 3. Character.

5. Confirmationis capaces sunt omnes & soli baptizati, etiam infantes, quibus primis Ecclesiæ sæculis conferebatur: nunc tamen in Ecclesia Latina differtur usque ad usum rationis, ad majorem reverentiam hujus Sacramenti, & majorem utilitatem suscipientis ob actualem devotionem. Expediit autem pueros tempestivè confirmari antequam innocentiam baptismali excidant, modo suscepti Sacramenti non iterandi meminisse possint, ejusque excellentiam & utilitatem agnoscant.

5. Patrinus adhiberi debet ex lege seu consuetudine Ecclesiæ, quæ in variis Canonibus exprimitur. Et quidem unus tantum, sive vir sive mulier *c. nos plures de consec. dist. 4.* circa quod nihil innovavit Trid. debetque esse confirmatus seu confirmata *c. in Baptismate eod. tit.*

*Q. 1. An quilibet Adultus tenetur Confirmationem recipere datâ opportunitate?*

*Resp.* Multi negant, sed Tolet. & alii affirmant, & probant. 1. Ex cura & sollicitudine Apostolorum. Act 8. ut Baptizatis conferretur. 2. Ex *c. omnes de Consec dist. 5. Omnes fideles*



*fideles per manus impositionem Episcoporum Spiritum Sanctum post Baptismum accipere debent, ut pleni Christiani inveniantur. Et ex S. Cyprian. Epist. 72. Ungi quoque necesse est eum, qui baptizatus sit, ut accepto Chrismate, id est unctione, esse unctus Dei, & habere in se Christi gratiam possit.*  
 3. Ex Conc. Laodic. can. 48. *Quod oporteat eos, qui baptizantur, Chrisma Ecclesiae accipere.*  
 Ex Con. Mediolan. 4. Sub S. Carolo; *Si quis neglexerit (eius susceptionem) Canonicis subjaceat Disciplinis.* At negligit qui datâ opportunitate non suscipit, ut per se & ex contextu patet. Et ex Con. Rhemensian. 1583. *Monent Parochi Sacramentum Confirmationis non debere negligi, vel pratermitti à verè Christianis.*  
 4. Ex Canonibus Pœnitentialibus, qui trium annorum pœnitentiam imponunt parentibus, quorum negligentia filius sine Confirmatione decesserit.  
 5. Quia hoc Sacramentum institutum est, ut medium per se certum & ordinarium ad dandum robur, & perfectionem vitæ christianæ, & non solum ad fidem coram tyrannis fortiter profitendam, sed etiam ad vincendas tentationes contra fidem, à quibus nemo adultus immunis est. Ergo Christus voluit ut ab omnibus susciperetur, & qui illud cum potest, non suscipit, non satis consulit salutis suæ, sed illam ac auxilium divinum negligere meritò censetur: ergo peccat. Certè apud omnes constat esse saltem culpam venialem hoc  
 Sacra-



Sacramentum tunc omittere: cùm talis omif-  
fio fit irrationabilis quædam prodigalitas spi-  
ritualis. Mortale verò si omittatur five ex  
contemptu, ut si quis illud aut ejus effectum  
parvi faciat, vel vile aut puerile existimet se  
illi subicere: five cum scandalo, ut si quis ita  
se publicè gerat, ut aliis exhibeat speciem  
contemptûs.

Item constat Episcopum teneri sub morta-  
li illud non rarò administrare; nam cùm sit  
Pastor animarum, tenetur illis ex officio per  
se subministrare media, quæ Christus instituit  
ad earum salutem, vel perfectionem, ac spi-  
ritalem utilitatem, per ipsum solùm suppedit-  
tanda.



## TRACTATUS DE EUCHARISTIA.

**E**ucharistia est Sacramentum Corporis &  
Sanguinis Christi sub speciebus panis  
& vini, ad spiritualem animæ resectio-  
nem à Christo institutum,

CA-